



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 3. Finis Concilii V. Lateranensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XV. A.C. 1517. firmabantur Bullæ Honorii III. & Bonifacii VIII. hanc in rem jam olim editæ.

§. III.

Finis Concilii V. Lateranensis.

Aliud insuper promulgabatur Decretum, cuius summa hæc est. Cum Concilium ipsum usque ad perfectionem caussarum, propter quas indictum exstiterat, perduxerimus, præcipue ut inter Principes Christianos armis depositis firma pax componi valeret, conatus nostros adhibuerimus, altera vero præfati Concilii causa fuerit schismatis ac Pisani conciliabuli extirpatio, generalis reformatio, etiam Curie: reliqua cura esset, discussio, & abrogatio Pragmaticæ Sanctionis, resque Orthodoxæ fidem concernentes, cumque hæc favente Deo, & approbante sacro Concilio per nos discussa, absoluta & terminata essent, omnia & singula in præcedentibus undecim Sessionibus gesta, ac facta Apostolica auctoritate approbamus, & innovamus, ac inviolabiliter observari decernimus. Unde justis de causis præsens Concilium absolvimus, & cum Benedictione Domini Prælatos Synodi dimittimus: Eodem decreto Papa decimas imponi decrevit, cunctosque Beneficiis provisos adhortatus est, ut decimas in expeditionem Turcicam ex eorum beneficiis exigere permitterent, Equidem multi ex Patribus
cense-

censebant, non satis adhuc aliis prospere-
 ctum esse caussis, ideoque Synodum non
 tam cito dissolvendam, nihilominus ma-
 jori parte huic decreto acquiescente finis
 est Concilio impositus. Quapropter
 cum Cardinalis S. Eustachii alta, distin-
 ctaque voce cantaret: *Domini, Ite in pa-*
ce, ac cantores capellæ Pontificiæ in eo-
 dem tono: *Deo gratias* responderent,
 mox incipiebatur Hymnus Ambrosianus,
 quo absoluto Pontifex mulo vectus ad
 Palatium reversus est, comitantibus eum
 Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis,
 Episcopis, Oratoribus, aliisque quamplu-
 rimis Proceribus: Finita igitur est Sy-
 nodus V. Lateranensis, postquam quinque
 ferme annos tenuisset.

Secul. XVI.
 A.C. 1517.

§. IV.

*Francisci Pici Mirandulani Oratio de
 correctione morum.*

Ad calcem operum Pici de Mirandula
 habetur oratio, quam nonnulli in hac
 ultima Sessione perlectam contendunt,
 quamvis in Actis Concilii desideretur;
 in illis quippe non nisi sermo a Maximo
 Corvino Æterniensi Episcopo declamatus
 reperitur; illa autem oratio, quam inter
 Pici Mirandulani opera relatam diximus,
 gravibus admodum verbis concepta est,
 illiusque Auctor corruptos illius ævi mo-
 res

*Extat in fin.
 oper. Pici
 Mirand. &
 apud Or-
 thuin. in Fasc.
 rer. expet.*